



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. VII. De Affinitate, seu impedimento juris superveniente; Ac de Voce  
publica, seu fama de impedimento.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

tur graves inimicitia: inter consanguineos ratione matrimonii. Quinto, si parentes renuant dare dotem promissam.

II. Similiter si notabilis paupertas alteri superveniat; Immo si uterque incidat in paupertatem, puto cum Rebel. contra Bonac., quod possit etiam uterque resilire, quia onus futuri matrimonii redditur longe difficilius: Si tamen alteri post sponsalia superveniant plurimæ divitiæ, exilimo etiam cum Hurt. contra Sanch. & Bonac., quod possit pariter resilire; cum hæc sit etiam notabilis mutatio, qua prævisa is non contraxisset; Esto verum sit, quod non sit deceptus in conditione alterius.

III. Demum sufficiens caput ad dissolvenda sponsalia, etiam jurata, est quodcumque notabile accidat, quod in principio existens impediret ea contrahi, ut communiter docent: Et ratio ulterior est, quia contractus sponsalitiis non est perfectus, sed inchoatus, factus non pro re accepta, sed pro re accipienda, & quæ non accipitur, si dissolvatur contractus; unde tacite in contractu sponsalitiis intelligitur, quod si superveniat notabilis mutatio, ob quam impletio sponsalium fiat notabiliter onerosior, resilire possit is, cui id accidit. Quibus adde, ex lege *Obligatio generali ff. de pignore*, quod in generali, seu simplici obligatione non continentur ea, de quibus verosimiliter non est cogitatum: Et *cap. Peniens 16. de iurejurando* notat Glossa, quod iuramentum non extendatur ad illa, de quibus non est cogitatum.

IV. Ex quibus sequitur, quod si sponsus copulam extorqueat sub spe futuri matrimonii, & deinde notabilis mutatio superveniat, tunc satis sit damnum illatum compensare; quia promissio in iis sponsalibus censetur pariter facta sub ea implicita

conditione, quod notabilis mutatio non accidat.

## ARTICULUS VII.

De Affinitate, seu Impedimento Juris superveniente; Ac de Voce publica, seu fama de Impedimento.

- I. Sponsalia dissolvuntur per quodcumque impedimentum dirimens, quod superveniat.
- II. Qui culpa sua fuit causa talis impedimenti, puta affinitatis, tenetur ad matrimonium, si alter innocens obtineat dispensationem.
- III. Immo qui fuit causa impedimenti tenetur ipse dispensationem petere; præsertim si advertit, quod culpa sua impedimentum contrahatur.
- IV. Fama certa de impedimento dirimendo satis est ad sponsalia dissolvenda, etiam jurata; non secus ac testimonium unius fide digni: Quod tamen non sufficit ad dissolvendum matrimonium.
- V. Præter famam requiritur Persona gravis, non qua deponat impedimentum, sed qua denunciaret famam.
- VI. Solus rumor (qui habetur per hoc, quod minor pars vicinia impedimentum acclamet) non satis est ad dissolvenda Sponsalia.

I. **I**ndubitatum est, irritare Sponsalia præcedentia quodlibet superveniens impedimentum dirimens matrimonium; ut est susceptio Ordinis Sacri, Impotentia, Affinitas, quæ contrahitur per hoc, quod sponsus habeat copulam cum consanguinea sponsæ in primo, aut secundo gradu, vel e contra. Ratio est, quia posito eo impedimento, matrimonium promissum contrahi non potest absque dispensatione.

II. No-

II. Notandum tamen, quod qui fuit causa talis impedimenti ex suo peccato non debeat ullum commodum reportare; unde quantum est ex se, tenetur ad matrimonium obtenta ab altero dispensatione.

Quæritur nunc, An Sponsus, qui post Sponsalia contraxit impedimentum affinitatis, teneatur impetrare dispensationem, parte id exigente?

III. Respondeo, Sanch. disp. 56., Con., Bonac. docere, quod teneatur, si absque notabili incommodo illam potest obtinere. Ratio est, quia sponsa habens jus ad matrimonium habet jus, ne injuste impediatur; ergo sponsus injuste impediens tenetur ex iustitia tollere impedimentum obtinendo dispensationem; Si tamen possit absque notabili incommodo, quia ex vi sponsalium non censetur sponsus se obligasse ad procurandum matrimonium per media ardua, & difficilia.

Putat tamen Hurt. disp. 2. difficult. 12., quod non teneatur sponsus petere dispensationem, si quando dedit causam impedimento, peccando cum consanguinea sponsæ, non advertit contrahi impedimentum. Ratio est, quia tunc non damnificavit libere, & qui non damnificat libere, non tenetur ad satisfaciendum; cum in tali casu damnum computetur tamquam fortuitum, ut docent Doctores in materia de Restitutione: Sicuti si Clericus, verbi gratia, in venatione prohibita occidat hominem, quem putat esse feram, non tenetur ad restitutionem; idque etiamsi eo animo occidat feram, ut adhuc si sciret eam esse hominem, vellet occidere, ut notat Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 26. Quamvis multi, & graves Auctores apud eundem sint in sententia opposita.

IV. Præterea Vox publica, seu Fama dicitur, quando habetur accla-

matio, seu opinio majoris partis vicinæ: Dicitur vero Rumor, quando minor pars vicinæ acclamat, etiamsi sit quarta, vel tertia pars illius. Hoc posito, certum est primo ex cap. Super eo 2. de Consanguinitate, famam de aliquo impedimento dirimente matrimonium dissolvere sponsalia: Verbi gratia, si fama sit, quod sponsus habuerit rem cum sorore sponsæ. Id quippe in jure decretum est ad scandalum vitandum: Verum, ut fama hæc possit dissolvere sponsalia, debet esse certa; ita ut extingui non possit clarioribus probationibus. Ratio hujus est, quia quamvis ad dissolvendum matrimonium jam contractum non satis sit unus testis, qui deponat de impedimento dirimente; (unde relate ad hunc effectum dici solet Vox unius, Vox nullius) nihilominus ad dissolvenda sponsalia, seu ad impediendum matrimonium contrahendum satis est testimonium juratum unius fide digni, qui de impedimento deponat, ex cap. Super eo 2. de Testibus, & Attestationibus; atqui fama certa æquipollet testimonio unius: ergo, illa interveniente de aliquo impedimento, dissolvuntur sponsalia.

Quod si quæras, Quare testimonium unius sufficiat ad dissolvenda Sponsalia, non vero ad dissolvendum matrimonium?

Respondent communiter Doctores; quia in primo casu agitur de delicto vitando, ne scilicet sponsi habentes impedimentum contra Ecclesiam prohibitionem contrahant matrimonium, & peccent: Contra vero in secundo casu agitur de delicto probando, & de magno præjudicio tertii: unde jura duos saltem testes in hoc casu requirunt.

V. Certum est secundo, famam impedimenti dissolvere sponsalia etiam jurata; cum juramentum sequatur naturam, & leges contractus.

Ne-

Neque dicas cum Palud., quod requiratur & fama, & personæ gravis testimonium ad dirimenda Sponsalia jurata, ex cap. Cum in tua de Sponsalibus; ergo sola fama non sufficit: Nam in eo textu persona gravis non requiritur, ut deponat impedimentum, sed ut denunciaret famam; unde sola fama sufficit.

VI. Certum est ultimo, solum rumorem de impedimento non sufficere ad sponsalia dirimenda, ut communiter docent contra Antoninum, & Præposit. Ratio est, quia ex uno capite nullus habetur textus canonici ad impediendum matrimonium; & ex alio capite regula generalis est, quod possint omnes contrahere, qui non reperiuntur prohibiti, ex cap. Cum apud sedem de Sponsal., & matrimon. ubi Glossa ait: *Id, quod non prohibetur, concessum videtur.*

## ARTICULUS VIII.

Quænam ignorantia, & dolus dissolvant Sponsalia; Et quænam metus?

- I. *Causa, quæ sufficiunt ad dissolvenda Sponsalia, si superveniant, satis sunt ad ea dissolvenda, si præcesserint, & invincibiliter fuerint ignorata.*
- II. *Aliiter discurrendum de dolo dante causam contractui, ac de incidente in contractum. Aliiter etiam si ab altero ex contrahentibus adhibeatur, ac si a tertia persona.*
- III. *Sponsalium contractus per dolum celebratus probabiliter non est irritus, sed solum irritandus ad arbitrium decepti; ut proinde pariat impedimentum publicæ honestatis.*
- IV. *Ideo votum ex errore emissum est irritum, quia est promissio gratuita; at sponsalia ferunt promissio-*

*nem onerosam; & ideo non sunt irrita, sed irritanda, si per dolum celebrentur.*

- V. *Qui per dolum contraxit eo animo, ut licet dolum cognovisset, adhuc ea sponsalia contraxisset, nequit resiliere.*
- VI. *Num contrahentes sponsalia reneantur occulta vitia aperire, quibus deprehensis, Sponsalia non celebrantur?*
- VII. *Defectus, qui notabiliter nocent vita sociali conjugum, aperiendi sunt a sponsis; alii vero non sunt aperiendi, nisi de iis interrogentur contrahentes sponsalia. Nec licitum est positive dicto, vel facto simulare oppositum.*
- VIII. *Metus levis non irritat sponsalia; sicut nec metus gravis iuste incussus; nec metus iniuste incussus, sed non ad extorquenda sponsalia.*
- IX. *Probabiliter sunt solum irritanda ad arbitrium metum passi, non vero irrita sponsalia celebrata per metum iniuste incussum ad ea extorquenda.*
- X. *Hinc, si sint jurata, datur obligatio contrahendi matrimonium ratione juramenti; nisi obtineatur dispensatio.*

I. **Q**uod attinet ad ignorantiam, seu errorem, certum est apud Doctores, illas causas, quæ factis sunt ad dissolvenda sponsalia, si superveniant, (ut est lepra, paralytis, &c.) satis etiam esse, si præcedant, & invincibiliter ignorentur. Ratio est, tum quia sponsi non censentur voluisse se obligare ad matrimonium, cognita tali causa, ut supra diximus; tum etiam quia sponsalia dissolvi possunt, si superveniat notabilis mutatio: ergo etiam dissolvi possunt, si notabilis mutatio per errorem, aut ignorantiam prius non fuit cognita, & deinde cognoscatur; etenim

in